

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## **Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.**

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Canone Fidei

**Chamier, Daniel**

**Frankfurt, 1627**

Liber decimussextus, De scripturæ interpretatione

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-907)





## LIBER DECIMVS SEXTVS,

De

SCRIPTVRÆ INTERPRE-  
TATIONE.

Caput Primum.

*Ad quos Scriptura interpretatio pertineat.*

LIBER

VICIMVS dici posse Scripturam Sacram, & merito quidem dici perspicuam. Et tamen certum est, tum non nullos eius locos obscuriores esse, vt prima fronte non pateat sensus: tum nihil esse adeo facile, adeo perspicuum, adeo certum, quod non varie detorqueri queat etiam in sensu contrarios. Atque adeo docuit experientia omnes hærefes à Scripturis perperam intellectis, aut originem, aut certe incrementa sumpsisse. Quid enim crebrius occurrit in sanctorum disputationibus Patrum, solutione locorum ab hæreticis obiectorum? Denique his miseris temporibus non Catholici tantum strenue suam fidem à Scripturis tuentur: sed & Papistæ, quamuis eas negent esse certas, perspicuas, perfectas, vno verbo, iudices controuersiarum, tamen audent illis abuti subinde, ostentareque eorum auctoritatem, tanquam suam. Quod fieri nequit, nisi eosdem locos alii aliter intelligant. Vt enim Ariani olim illud Pater maior me est, de inæqualitate interpretabantur personarum in Trinitate: Catholici autem, per *κρίσιον ἰδιωματων* de Incarnatione: Sic hodie illud, Hoc est Corpus meum, Papistæ quidem ad Transubstantiationem referunt; Catholici autem ad Sacramentalem signorum cum re significata vnionem. Itaque sit, vt vel omnes, vel maxima pars Controuersiarum, in Interpretatione Scripturarum versetur.

II. Agendum igitur nunc est de ratione interpretandarum Scripturarum: quæ vltima controuersia superest, in hoc loco communi de Canone. Tractant eam Bellarminus Controuersiarum libro tertio, capite tertio, & sequentibus. Perusinus de Traditionibus, assertionem quarta & quinta. Driedo libro secundo, capite tertio, de Ecclesiasticis dogmatibus. Cordubensis annotationum Catholicarum articulo secundo, capite septuagesimo septimo, & duobus proximis. Stapletonus de Principiis libro decimo & vndecimo. In relectione Controuersiarum quinta, articulo quarto. Alphonsus de Castro aduersus hæreses libro primo capite quarto, Petrus Charroneus Tertie Veritatis capite quarto, articulo vndecimo. Petrus Sapeus in libello de Falsitate Caluinismi. Basilius Catechismi parte prima, quæstione decima.

III. Sed miscent cum altero capite de summo iudice controuersiarum: Agunt enim de certa infallibili auctoritate interpretandæ Scripturæ, de qua prolixè disputatum est libris, primo, secundo & tertio, probaturumque, neque Ecclesiæ, neque Papæ, sed Scripturæ soli hoc ius competere. Illo igitur omisso capite, duo hæc inquiremus nunc temporis. Cuius sit Scripturas interpretari: Et quæ ratio, siue via optima interpretandi.

IV. In priori capite pronunciamus cuilibet Christiano ius esse, vt legere, sic interpretari Scripturas, seruatis tamen diuersarum vocationum gradibus: vt pastores tanquam pastores in hac re suo publico officio fungantur: priuati autem priuatas suas partes expleant. Omnes tamen eo laborent, vt ipsi, quod siue legunt, siue audiunt à libris sacris, intelligant, quod fieri nullo modo potest absque interpretatione. Et quia Deus sui Spiritus dona varie distribuit, prout videtur, docuit experientia, nullius hominis fidelis, in hoc negotio, aut voluntatem damnandam, aut conatum detestandum.

V. Bellarminus constare quidem inter omnes fateretur, Scripturas intelligendas eo Spiritu, quo factæ sunt, id est, Sancto: sed totam quæstio-

nem in eo positam, vbi sit iste Spiritus, in Ecclesiæ, an vero in singulis: Et suos illi Ecclesiæ vendicare. Nos vero asserere, vnumquemque iudicem esse debere huius interpretationis, siue spiritum suum sequendo, si ipse donum interpretationis habeat, siue alicui alteri ad hærendo, quem eo dono præditum viderit. Atque hunc priuatum spiritum, cum ipse appellat, tum reliqui valde exagitant. Nam Stapletonus in Relectione, hanc sibi sententiam confutandam obiicit, *Videtur quod interpretatio Scripturæ, tam illa quæ probabilis est, quam certa & authentica, potest à priuato quocumque Spiritu dari.*

VI. Sed hæc inuidiose, calumnioseque dicuntur, non solide sincereque disputantur. Enimvero, quem appellant priuatum spiritum? Efficaciamne illam particularem cuique fidelium, quæ est à Spiritu Sancto, quæque efficit, vt Scripturam intelligat, hoc est, solum atlequatur verum genuinumque; An vero potius cuiusque homunculi impetum, qui se ingerens ad legendas interpretandasque Scripturas, ipse suo sibi Marte sensum pro arbitrio fingit, quem affingat libris sacris? Nam si hunc: per nos sane licet eis hunc priuatum spiritum impetere, atque exagitare: detestari etiam, & anathemate ferrire. Sed enim calumniam fieri querimus, cum nobis quicquam eiusmodi impingitur. Quid enim? an is Spiritus à quo factæ sunt Scripturæ aliquid habet cum eo priuato Spiritu commune? At Bellarminus hoc ipso agnoscit nos fateri opus esse. Et quid agimus disputantes aduersus Papistas? Non hoc præcipue vgemus, in eo totum, in eo sumus, vt varie à variis *επιβληται*, violenter torqueri Scripturas clamemus.

VII. Deum atque homines testamur, cum plurima nobis in Papismo displiceant, tum hoc omnino intolerandum videri, quod Scripturas quilibet apud eos doctorculus, ita sibi in manum traditas arbitretur, vt eas solum deorsum versare queat, quidlibet inde confecturus suo arbitrio: suo, inquam, arbitrio: suo Marte, quidlibet excogitans, & commentans. Ita euenit, vt qui maxime præ se ferunt detestari priuatum spiritum, ii huic ipsi indulgeant omnium maxime. Enimvero quis docuit prophetiam illam ex Psalmo 72. *adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei*, impletam esse in Leone decimo, quod Antonius Puccius asseruit in Concilio Lateranensi? Aut lapidem illum probatum, angularem, preciosum, in fundamento fundatum, de quo Esaias capite vigesimo octauo, esse Episcopum Romanum: vt voluit Bellarminus præfatione ad tertiam controuersiam? Aut illa ex posterioris ad Corinthios decimo, *In promptu habentes vlticisi omnem inobedientiam*, pertinere ad Clementis octauo expeditionem illam susceptam occupandæ Ferrariæ gratia: vt somniauit Baronius in Epistola dedicatoria, tomi octauo? Hanc, hanc, inquam, omnes Catholici detestantur audaciam, atque appellant scelestissimam: neque tolerandam, siue in controuersis, siue extra controuersias.

VIII. Quod si non hoc sensu nominant spiritum priuatum, sed illo altero, tum sane id negant, quod Catholici asserunt: & vt calumniæ accusari non debeant, certe sceleris immanis excusare se nequeunt, qui quod semper licuit, nunquam interdici æquum est, tantis animis insectentur. Negamus tamen hunc appellari debere priuatum spiritum. Consentit enim Bellarminus, à nobis concedi, Scripturam eodem Spiritu intelligendam, quo facta est. Quare necesse est, vt aut Scripturam priuato Spiritu factam esse euincat aut hunc neget esse priuatum. Denique ne rem prolixius differam: Catholici censent Scripturam interpretandam priuato labore, priuataque industria, puta Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, at non priuato sensu, sed genuino, germano, ipsique Scripturæ innato, denique eo, quem in animo habuerunt Paulus, Petrus, aliique librorum factorum scriptores.

\*\*



## CAP. II.

## An fidelibus quibusvis liceat Scripturam interpretari.

I. Catholicorum argumenta hæc sunt. Primum: Quicumque tenentur Scripturam legendo intelligere, iidem Scripturam interpretari possunt. At fideles omnes tenentur Scripturam legendo intelligere, Ergo iidem interpretari possunt. Maioris ratio est, quia intelligere nihil est aliud, quam assequi sensum eorum quæ legimus: & interpretari, nihil est aliud, quam ea quæ leguntur, verba ad eum sensum aptare: ita ut ratione tantum distinguantur intelligere & interpretari, non autem re discrepent. Minor patet. Nam quod ad lectionem attinet, prolixè probatum est libro decimo, eam promiscue omnibus fidelibus & permittendam, & inculcandam. Quod vero ad intellectum, primo neminem esse arbitror adeo ineptum, qui ad Scripturas legendas hortandos ita putet fideles, ut dehortandos contendant ab intelligentia; cum vulgo dictum celebretur, ea negligi, quæ lecta non intelliguntur. Secundo, ex ipsis Patribus, qui eius lectionis in eum fructumque assignant, legentium eruditionem: quod absque intelligentia quæ fieri possit? *Operam da semper* (inquit Ephraim Syrus) *ut lectioni diuinarum Scripturarum adhaereas, quæ te doceant, quomodo effugere oporteat laqueos inimici: ut omitam alia infinita.* Tertio, ab ipsis aduersariis, qui, ut deterreant plebem ab hac lectione, intelligendi difficultatem obtendunt: unde patet eos agnoscere, legi non debere, nisi ut intelligantur.

II. Secundum argumentum: Quicumque promissiones à Deo habent de intelligentia Scripturæ, iidem Scripturam interpretari possunt. At quilibet fideles id genus promissionem habent: Ergo quilibet interpretari possunt. Maior in confesso est: etiam apud aduersarios: qui hanc ob causam Ecclesiæ vindicant hoc ius omne, quod ei promissum dicunt Spiritum Sanctum. Probatur autem minor Scripturæ locis. Esaiæ quinquagesimo quarto, *Et omnes filii tui docti erunt à teboua.* Hieremiæ trigesimo primo, *Dabo legem meam in cordibus eorum: & in corde eorum scribam eam, & non docebit ultra vir proximum suum, dicens, Cognosce Dominum. Omnes enim scient me, à minimo eorum usque ad maximum eorum.*

III. Bellarminus ad locum Esaiæ respondet, non loqui Prophetam de spiritu priuato reuelante: sed vel de doctrina Euangelii, quam Deus ipse, id est, Christus prædicauit & docuit, sic exponente Cynillo: ut sensus sit: Populum Christianum non docebo per Prophetas, sed per meipsum. Vel (quæ est subtilior & germanior expositio) de gratia Spiritus Sancti, qua homo interius à Deo mouetur, & suauiter impellitur ad credendum, & amandum. Itaque non esse sensum, omnes Christianos intellecturos diuina reuelatione omnia arcana Scripturarum, sed tales futuros, ut non solum audiant magistrum, exterius explicantem Verbum Dei, sed etiam intus Deum suadentem, ut faciant, quod audiunt.

IV. At quod initio de priuato spiritu reuelante negat, quorsum spectet non facile video: Nam priuatum illum spiritum si sensum alienum à Scriptura significet, à nobis multo magis reiici quam à Papistis, iam testati sumus: si autem particularem, priuatamque efficaciam Spiritus Dei in singulis fidelibus: quomodo negari possit? Non enim intelligi vilo modo possunt omnes fideles docti à Deo, nisi id Deus efficiat in singulis, & quidem priuate: Etsi enim, exempli gratia, idem Spiritus Paulum docuit & Petrum, tamen is ipse actus quo Petrus doctus est, non est idem ipse quo Paulus. Itaque seorsim oportuit eundem Spiritum efficacem fuisse in vtroque. Atque hoc quidem nobis sufficit. Reuelantem vero ambigere etiam dixit. Nos nullos volumus *ἐπιδοκίμασις*, nullas extra ordinem reuelationes: sed ordinatas duntaxat in Scripturarum meditatione, quas his promissionibus contineri certam est.

V. Prior expositio, à Cynillo repetita, frigida est, quod ipse Bellarminus agnouit, cum alteram prætulit tanquam subtiliorem & germaniorem. Et sane ostendit Christus Ioannis 6. non de sua ipsius prædicatione locutus intelligendum, sed de interna Dei in cordibus efficacia, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: ego vero suscipiabo eum ultimo die: Est scriptum in Prophetis, & erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* Ut mittam consentientem Veterum sententiam.

VI. Altera expositio paulo propius attingit Prophetæ mentem: sed nondum est perfecta. Nam gratia illa, qua homo interius à Deo mouetur ad credendum, & amandum, non est eadem necio quid: sed cum intelligentia coniunctum. Augustinus contra Pelagium & Celestium lib. 1. c. 13. *Sic docet Deus qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt agere.* Perperam igitur separabuntur, quæ distincta quidem sunt, non tamen contraria.

VII. Sed negat tamen hunc esse Prophetæ sensum, omnes Christianos intellecturos diuina reuelatione, omnia arcana Scripturarum. Quasi id aliquis vnquam somnari: aut quasi id vel tantillum infirmit nostrum argumentum. Quid enim? Censet-ne omnino neminem posse interpretari Scripturas, nisi omnia earum arcana cognita habeat? Peccauerit ergo Augustinus, qui multo plura se nescire dicebat, quam scire: Et tamen quotidie interpretabatur, tum plebi suæ, tum ipse sibi: tum Scriptis, tum viva voce. Imo iam retractent Papistæ suam sententiam, & negent, vel ipsam Ecclesiam non posse fungi hoc interpretationis munere: ipsam, inquam, Ecclesiam: quando quidem certum est ne ipsi quidem Ecclesiæ omnia arcana Scripturarum esse cognita, maxime ex reuelatione, ut quædam ex Apocalypsi: vt illud de iis qui baptizantur pro mortuis: vt computatio Hebdomadatum Danielis in quibus capitibus torfere prodierunt sententiæ, quot autores: nec vnquam definitum est, quænam earum sit optima certissimaque.

VIII. Ad Hieremiam respondet, hæc verba, *Dabo legem meam*, significare gratiam Testamenti Noui, id est, fidem per caritatem operantem, quam Deus diffundit in cordibus nostris, vt non solum sciamus, sed etiam impleamus mandata. Ista vero, *& non docebit ultra vir proximum suum*, significare vel præmium fidei, id est, beatitudinem, in qua omnes electi videbunt Deum facie ad faciem: Vel certe, si magis placet de hoc tempore intelligi, cognitionem vnus Dei, non autem mysteriorum absconditorum in Scriptura. Atque id esse impletum, quia Gentiles conuersi sunt ad fidem: Iudæi autem & Turcæ, licet impii sint, tamen vnum colunt Deum.

IX. Sed primo, hæc nimia est audacia, cum eiusdem continuatæque sententiæ verba sic distrahantur, vt prior quidem pars pertineat ad fideles æque hoc seculum: posterior vero, vel non ad hoc seculum, vel etiam ad infideles. Quanto facilius vtraque de eodem seculo, iisdemque fidelibus? Hieronymus, *Nunc autem in Euangelio post crucem, resurrectionem, & ascensionem, dat se pactum non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus pollicetur. Cuiusque scriptum fuerit Domini Testamentum in mente credentium: ipsum esse in Deum, & illos esse in populum: vt nequaquam Iudaicos querant magistros, & traditiones, & mandata hominum, sed doceantur à Spiritu Sancto: si tamen auertere mereantur, Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Spiritus autem spirat vbi vult, & diuersas habet gratias.* Et tamen nihil est necesse nos hic insistere. Sufficit enim ad vim argumenti, quod in priori parte conficitur Bellarminus, Deum effundere in corda nostra caritatem, vt non solum sciamus sed etiam impleamus mandata. Nam si id verum est, tum certe verumque efficit in fidelibus Spiritus Dei, non tantum vt faciant, sed etiam vt sciant non enim vt faciant, imprudentes, imperitique sui officii. Hoc iure igitur de legent & interpretabuntur Scripturas: quamuis non omnia notint arcana abscondita.

X. Tertium Argumentum: Si Interpretatio Scripturarum donum est à Deo libere datum ad ædificationem Ecclesiæ. Ergo non est alligatum certo cuidam hominum generi, sed commune fidelibus. At prius verum ad Romanos 12. *Habentes diuersa dona per gratiâ quæ nobis data est, sine prophetiam prophetemus pro proportionem fidei.* Prioris ad Corinthios 12. inter alia dona, numerantur discretio spirituum, & interpretatio linguarum & demum: *Omnia hæc efficit vnus ille & idem Spiritus, distribuens priuatim illa singulis sicut vult.* Ergo verum est etiam conueniens.

XI. Stapletonus valde laborat hoc loco, In Relectione, hanc liberam Dei voluntatem, multis modis obseruat esse limitatam: id est, tribus: Ex parte datoris Dei, qui dat iuxta mensuram: Ex parte eorum quibus datur differenter & per varias mensuras. Ex parte totius corporis Ecclesiæ, in quo cum multa membra sint, non omnia eundem actum habent. Hæc ibi nec indicat, quid hæc faciant ad argumenti solutionem. Fatentur enim Catholici dispensari dona Dei secundum mensuram variis variis: at hanc dispensationem norunt fieri, non pro varia personarum distinctione: vt, exempli gratia, Monachis concedantur miracula, non vero reliquis fidelibus: aut interpretatio linguarum clericis, non vero laicis: sed vt & miracula, & interpretatio non denegetur etiam laicis: tantum vt neque omnes edant miracula, aut interpretentur: neque qui edunt, eadem omnes: aut qui interpretentur, æque omnes.

XII. Libro 10. de Principiis longe prolixius, c. 7. docet hoc donum Interpretationis, vt & cætera diuini non promiscue aut quocunque modo, sed iuxta mensuram fidei, & vniciue ad utilitatē. Iam mensuram fidei hanc esse non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatē, h. e. vnūquēque sapere iuxta vocationē in qua vocatus est. Esse n. in vno corpore varia membra, nec eundem omnia actum habere. Itaque non bene concludi, Deus dedit donum Prophetiæ, & cætera dona in Ecclesia, vniciue prout vult: ergo illa dedit vniciue membro in Ecclesia, nulla habita ratione vocationis cuique membro propriæ. Ex his duo conficit: primo, dari hæc dona non promiscue, sed seruatō ordine: ordinem vero hunc esse, vt alii sint Apostoli, alii Prophetæ, vt in Epistola ad Ephesios: ideoque in his Apostolis, Pastoribus, Doctoribus querenda esse hæc dona: deinde hæc dona, cum de facto data sunt à Christo, solis iis data esse, qui Pastores & magistri Ecclesiarum futuri essent: Matthæi 13. dictum esse Apostolis, *Vobis datum est nosse mysteria, turbis autem in parabolis loquor.*

XIII. Porro utilitatem illam dupliciter considerari: ratione vel totius Ecclesiæ, vel singulorum. Primo enim, non expedire toti Ecclesiæ, vt alii hæc dona dentur, quam iis qui vocati sunt ad docendum, vitandi schismatis causa. Secundo, non esse vtile cuius, vt hoc donum accipiat. Non enim omnes esse capaces. Et quamuis capaces essent, non tamen eis expedire: nimirum, quia sint oues: quibus non datur spiritus, nisi quatenus oues sunt, scilicet vt obediant, & discant.

XIV. Hæc est summa longarum ambagium. Sed nihil ad rem. Primum variam illam distributionem nihil ratio nostra impedit: neque enim efficit, vt aut omnes interpretentur: aut qui interpretantur, æquali omnes mensura interpretentur, sed tantum vt libere Deus in quos velit, donum illud conferat quantum velit. Secundo, non bene comparatur caput quartum ad Ephesios cum his locis. Nam differant, *τὸ χάρις καὶ τὸ δῶρον ἕκαστος*. Ministerium enim vere distinguit Ecclesiam in varios ordines: non autem Charismata: quæ inde apparet, quod ipsis personis in eodem constitutis ministerii gradu hæc ipsa charismata varie distribuuntur: non enim omnes Pastores, æque aut linguas interpretantur, aut prophetant. Tertio, illud egregie falsum in solis Apostolis, pastoribus, doctoribus, querenda esse hæc *χάρις καὶ τὸ δῶρον*. Neque Matthæi 13. discreuit Christus Apostolos à turba simpliciter: sed à turba non credentium, vt demonstratum est capite septimo libri decimi.

XV. De utilitate quid dicam? Primo, falsum est non conducere Ecclesiæ, vt omnes interpretentur: nisi forte concedamus, multum nocere eidem si omnes credant. Multo aliter Moyses, Numeror. 11. *Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?* Quis autem credat hunc vtrum optasse, rem Ecclesiæ aut inutilem, aut etiam noxiam? Periculum autem schismatis, nullum minus est, quam cum toti clero, non tantum à se, sed etiam *ἀλλήλοις*, id est, singulis clericis conceditur interpretatio. Itaque hæc legitima causa esset, tum neganda hæc facultas esset etiam clero. Quod puto, nunquam facient Papistæ.

XVI. Non esse omnes capaces, facile concedam: sed vicissim omnes esse fieri capaces, qui à Deo Spiritum accipiunt, quantacunque mensura, quis neget? Certum est enim neminem omnino hominem per se suaque natura capacem esse mysteriorum Sacrorum: teste Paulo 1. ad Corinthios secundum, *ψυχὴς ἡνθρωπίνης οὐ δύναται τὸ πνεῦμα κατανοῆσαι, ὡς οὐδὲ ἴσως ἴσως ἴσως ἴσως*. *Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt spiritus Dei.* Sed Christus Matthæi 11. *Confiteor tibi Pater, quod absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris paruulis.* Etiam Pater, quia ita placuit tibi. Non dari autē ouibus Spiritum, nisi vt obediant & discant, primo falsum est: quia datur etiam saepe vt doceant, hoc est, vt iam tum apti fiant ad docendum suo tempore, id est, cum vocati fuerint.























pturam culpa confertur? Imo si abutuntur illi tanto thesauro, cur suis bonis priuentur Catholici?

XVII. In tertio argumento, quomodo hæc media dicat, studio, industriaque humana comparari, non facile est videre. An, quia censet nullas hæc Spiritus Sancti partes esse; magis quam cum Plato de suis ideis commentaretur; aut Aristoteles de naturalibus principiis disceptaret? Tum enim vere hæc media humana dici possent, ac probabilia, vel etiam fallacia. Sed hoc quam absurdum? Nam, ut nihil dicam aliud, & taceam non inutiles esse propterea preces ad Deum: certe ipsi loci inter se comparati, eorumque locorum sententia, sunt à Deo, non autem ab humano studio, industriae. An vero, quia ij loci multo labore inquiruntur, ex quoque ingenij acumine exigitur? At hæc non sequitur, esse hæc media humana, & fallacia. Quid enim? Nonne eodem studio, eademque industria Ecclesiæ praxis inuestigatur & Patrum cõsensus, & conciliorum definitiones? Nonne me oportet hystoriam Ecclesiasticam percurrere, ut sciam, exempli gratia, vtrum semper plebi fuerit calix interdicitus, Ecclesiæ praxi? Non me oportet diligenter inter se conferre, Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum, Ambrosium, Basilium, Nazianzenum, Athanasium, reliquos omnes, ut certo sciam, sit-ne Imaginum vsus in Ecclesia legitimus? Deniq; non sunt tomi Conciliorum euoluendi, & Concilia singula singulis conferenda, ut appareat quo iure interdicitum sit Episcopis, presbyteris, & Diaconis matrimonium? Quam mihi ergo rationem Stapletonus adferet, quæ persuadeat non esse hæc media humana, probabilia, fallacia? Aut si hanc negat consequentiam, cur eam pro necessaria profert aduersus Scripturarum collationem? Nimirum ita se res habet: Vult Deus Christianos haud esse segnes hæc parte, sed meditari in eius lege diu ac noctes, Pl. 1. Attendere lectoni, 1. ad Timot. 4. sic tamen ut eos ipse doceat, non ipsi se ipsos. Vere sic meditates, & attendentes, discunt à Deo, non vero docentur ab homine. Itaq; hæc collatio non debuit dici humana.

XVIII. Enimvero Augustinus, quum diceret de Baptismo contra Donatistas c. 6. *Afferamus diuinam statueram de Scripturis Sanctis tanquam de thesauris Domini, in illa quid sit grauius appensum, quæ verba diligentem Scripturarum collationem significant, an credidit humanum aliquod medium se adhibere? Quin potius subnectit, Imo non appensum, sed à Domino appensa recognoscimus.* Idem in Pl. 57. *Auferantur de medio char. nostra, procedat in medium codex Dei. Audi Christum dicentem: audi veritatem loquentem.* Et ita nobis esse poterit Christus dicens, veritas loquens, non aliud, quam studium industriaque humana? non aliud quam probabile, fallaxque medium? Denique Basil. Epist. 80. *nap ois de s. p. s. h. ne dyuana cruce dicitur deus dicitur in te r. u. s. h. e. p. r. u. s. & a. h. d. e. u. s. u. d. e. s. Omnino* (inquit) eorum calculus esto, quorum eunt dogmata consona diuinis sermonibus. Non erat igitur Basilio fallax mediū, vt Stapletono.

C A P. VIII.

An Scriptura doceat, consensum Patrum esse regulam Interpretationis.

I. Et ergo Scripturarum vñs ratio certissima interpretandæ Scripturæ. Sed Papistæ statuunt potius Testium autoritatem. Canus Locorum lib. 7. cap. 3. *In expositione sacrarum literarum, communis omnium sanctorum veterum intelligentia, certissimum argumentum Theologo præstat, ad Theologicas assertiones corroborandas.* Stapletonus hoc per partes exsequitur fufius de Principijs lib. 11. proponens primo Ecclesiæ praxin cap. 4. *Illam via ac ratio, in Scripturis salubriter intelligendis, certa & infallibilis est: si quando in loco difficili & ambiguo, quid Ecclesia generaliter obseruet circa materiam in illius loci verbis comprehensam, diligenter attendatur: eaque loci interpretatio adhibeatur, quam praxis & obseruatio Ecclesiæ generalis approbat, aut adiuuat.* Secundo Concilia: cap. 6. *Plane certissima omninoque infallibilis via ac ratio, in exponenda vel intelligenda Scriptura, est Conciliorum præscripta & decreta interpretatio.* Tertio consensum Veterum, cap. 5. *Illustis illa ratio est, vtriusque admodum maiorum nostrorum vsusque via, circa Sacras Scripturas intelligendas, vt Sanctorum Patrum, & celebrium Ecclesiæ Sancta doctorum, vel commentarios doctissimos consulamus, vel alia occasione relicta interpretaciones adhibeamus.*

II. Ita illi: Sed nota, Consensum Veterum à Cano appellari certissimum argumentum: at à Stapletono tantum illustrem rationem. Et, vt scias, quo sensu, attende primo certis cautionibus coereeri: Primo, vt consensus sit, non cuiuscuque doctoris, sed vel omnium, vel plurimorum, secundo, vt sit eorum, quos pro doctoribus, ac patribus suscepit Ecclesia. Et tamen post ista accuratissime considerata, quid futurum putas? Eam sententiam vel certā atque authenticam, vel admodum profecto probabilem esse non dubitemus. Quomodo id vero? Vt aduersam planēq; contrariam interpretationem omnem aduersariam ac notham indubitate habeamus: diuersam vero, & aliam, non autē contrariam, non ita. Satin' discedit à Cano Stapletonus? Verum cito: & illi, si vacet, comparent inter se. Nos vtriusq; momenta rationum consideremus. Et quidem Canus pugnat Scripturis, rationibus autoritatibus: quam capitū distinctionem & nos seruabimus: collectis etiam, si quæ Stapletonus habet, propria. Nam tres illas huius vias, non existimamus tanto discrimine inter se distinguere; vt separatos tractatus singulæ postulerent: & non possint vna eademq; opera & Stapletonus, & Canus reutari.

III. Primus locus Ecclesiastici 8. *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi si dicunt, & patribus suis: quoniam ab ipsis discas intellectum & in tempore necessitatis dare responsum.* Et hunc ita nudum deserit: nulla addita explicatione, nullo consequentiæ momento.

IV. Respondeo, primo autoritatem esse apocrypham. Secundo, non excludere quæstionem. Non n. quæritur, vtrum prætereunda sit, siue pro nihilo habenda seniorum narratio, sed vtrum ea certissimum suppediet Theologis argumentum. Nam alioquin vtilem, imo necessarium suo modo esse cõsensum Veterum, iam ipsi professi sumus cap. 4.

V. Secundus locus 12. ad Romanos. *Non plus sapere, quam oportet sapere sed sapere ad sobrietatem: & omnicuiq; sicut Deus diuisit rationem suam: habentes donationes secundum gratiam differentes: siue Prophetiam, secundum rationem si-*

dei. Exponit Canus. Secundum rationem fidei: hoc est, ne sacris literis exponendis humani acumen ingenij, aut naturæ vim rationemq; sequatur, sed eas iuxta fidem à maioribus acceptam, & huius fidei proportionalem rationem interpretetur.

VI. Respondeo; illud de acumine ingenij, & naturæ vi ac ratione, non importune moneri. Reliqua vero & c. Fatemur Scripturam interpretandam iuxta proportionem fidei: Et ita discrete posuimus. Sed primo, ita dem à patribus acceptam; nihil obstat quominus intelligamus, à Prophetis & Apostolis; qui veri sunt Ecclesiæ Patres: & ita res redibit ad Scripturarum collationem. Deinde etiam si patres intelligamus eos, qui fuerunt in Ecclesia post Apostolos ad nos vsq;: tamen nihil obstat, quominus ita interpretemur Scripturam iuxta fidem à maioribus acceptam, vt tamen consensus ille maior non sit certissimum, & infallibile argumentum, siue fundamentum interpretationis. Nam fides à Patribus tradita nulla debet, quam quæ in Scripturis continetur: poterit ergo traditio patrum, esse tanquam index, sed interpretationis demonstratio aliunde erit petenda. Nam ipsa etiam traditio fidei, quantum vis à patribus manans, examinanda est, & exigenda ad Scripturam. Itaq; Scripturæ consensus longe certior erit hæc Patrum traditione, siue hoc patrum consensu.

VII. Tertius locus, 1. ad Corinth. 14. *Propheta duo aut tres dicant, & ceteri iudicent: Et ne quis à reliquis temere dissentiat. Nō est aut, ait, dissensionis Deus, sed pacis: id est, non eius, qui à consentiendi unitate defecerit, sed eorum, qui in consentiendi pace permanerint.* Ac ne quis tandem harum rerum iudiciū ad se vnum despectis cæteris reuocaret, paulo post addit, *An à vobis verbum Dei processit, aut in vos solos peruenit?*

XVIII. Respondeo, primo ipsum Canum agnouisse argumenti infirmitatē. *Quod si* (inquit) *hoc Apostoli testimonium videbitur cuiuspiam ad suadendū magis, quam euincendū idoneū; cū illo nō existimari equidē cōtentionosa disputatio certandum. Non n. vel ipsi credimus, omnia argumenta, quib. vtimur, esse palmaria.* Admittimus concessionem: Et obseruamus Papistarum in disputando ingenium qui non certa tantum argumenta colligant, quod faciunt qui veritatis indagacionem sibi proponunt, sed etiam n. q. u. s. p. d. p. a. vt solent Rhetores, quibus Victoria pposita est solus scopus. Interim monemus hic à nobis disputari, nō vtrum dissentiendum sit à reliquis: multo minus, vtrum temere: Sed vtrū cõsensu veterū sit summa certissimaq; ratio interpretandæ Scripturæ. Potest autem, etiam quum ne latum quidē pilum discediur à communi cõsensu, Scriptura exponi per Scripturam: & quidem certissime. Possunt, & tum quum vnus sic exponit, alij iudicare.

IX. Quartus locus 4. ad Ephes. *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam aut Prophetas, alios vero Euangelistas, alios aut Pastores & Doctores, ad cõmminationem Sanctorū, in opus ministerij, in adificationē corporis Christi, vt nō simus iam paruuli fluctuantes, & circūferamur omni vento doctrina in nequitia hominum in astutia ac circūuentionem erroris.* Ex his verbis plane intelligitur, diuinæ prudentiæ fuisse, vt non solum Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum codices habeamus verum etiam sanctorum doctorum in illos commentaria. Hos ergo in Ecclesia Dei diuinitus per tempora & loca procuratos, qui quis in Scripturæ sensum eundem conuenientes contempserit; non hominē contemnit, sed Deum.

X. Et hoc testimonium Apostoli grauissimum appellat. Et grauissimum sane quis neget: tanto autore, in re tanta? At nihilominus Cani argumentum ex eo grauissimo testimonio futilissimum est. Quid n. inde concludit? Non esse contempnentis Sanctos Doctores in Scripturæ sensum eundem cõuenientes. Quasi id quisquam diceret. Quasi non possit Scriptura per Scripturam certissime exponi, quin statim Veteres consentientes contemnantur. Quod speramus sano in mentem venturum nemini.

XI. Postremus locus est ex Salomone, quod si diligentius expendatur, inquit, multum conferet ad eam rem, de qua differimus, corroborandas. Pareamus momenti: & diligentius expendamus. Ecclesiasticus 12. *Verba sapientium sicut stimuli, & quasi clauis in alui defixi: Quæ permagistrorum concilia data sunt à pastore vno. His amplius fili mi, ne requiras. Locum audiui: exspecto vim cõsequentiæ: nec inuenio. Citat Hieronymum in eum locum. Exceptis his verbis, quæ ab vno pastore sunt data, & à concilio atque consensu probata sapientium nihil tibi vindices: maiorum sequere vestigia: ab eorum autoritate non discrepet.* Tum addit hunc vnum pastorem esse Christum: teste Ezechiele. Christum autem non ipsum per se hoc semper facere, sed per Hieremiam promississe pastores. Deniq; verba pastorum data fuisse ab illo vnico pastore, ostendi tali atq; omnium consensu: quia non potuissent omnes vnum idemq; intelligere, nisi vno eodemque Christi Spiritu continerentur. Ergo nihil aliud quam magistrorum concilium licet intueri; quod ab vno veritatis Spiritu fuerit congregatum.

XII. Respondeo, vix esse quenquam tam acute logicum, qui huius argumenti partium a. n. n. x. i. a. possit obseruare. Veruntamen Hieronym. citatur præter mentem Hieronymi. Nam primo Hieronymus sapientes discrete definit Prophetas, & Apostolos. Prudentes, inquit, tam Prophetæ sunt quam Apostoli. Itaq; cū dixit nihil sibi vindicandum exceptis his verbis, quæ ab vno pastore sunt data, & à concilio atq; consensu prolata sapientium: nihil aliud intelligit, quam non discrepandum à Prophetis & Apostolis: id est, à Scriptura. Et hoc ipsum probatur ex ijs, quæ subiecta sunt, verbis à Cano recitatis. *Maiorum inquit, sequere vestigia: ab eorum autoritate nō discrepet. Alioqui querenti multa, infinitus librorum numerus occurret: qui te protrahas ad errorem, & legentē multa, frustra faciat laborare.* Vnde patet opponi hoc Sapientium concilium atq; consensum, lectoni infinitorum librorum. At consensus ille, quem Canus intelligit, omnium pastorum Ecclesiæ ab Apostolis ad hæc vsq; tempora, nō excludit infinitatem librorum, sed potius includit necessario. Ergo Hieronymo non venit in mentem hoc concilium Cani: nec Salomoni etiam: si idem sit Salomonis sensus, qui Hieronymi.

XIII. Præterea, et si concedamus consensum omnium pastorum non esse nisi à Spiritu Christi: tamen nihil hoc virium habet. Quia ne duorum quidem aut trium consensus in veritate, aliunde est, quam ab eodem Spiritu. Nec tamen hunc duorum trium-ve consensum, vel Canus, vel alius quisquā admittit pro argumento certissimo, siue potius pro regula certissima interpretandæ Scripturæ. Ad hæc etiam si sit à Spiritu Sancto, tamen nō sequitur eum consensum maiorem certiorēque esse consensu Scripturarum. Nam ne Petrus quidem dubitauit, suum, id est, Apostolorum sensum, cõparans cum



Scriptura hanc firmiorem appellare: Quanto minus nos dubitare debemus; omnium hominum contentum postponere eidem Scripturae.

XIV. Haecenus à Cano citata Scriptura Stapletonus pro consentiente Patrum interpretatione. En tibi, inquit, ex Scripturis Sacris solidam confirmationem. Beat nos, tam fuita pollicitatione. Vtinam ne pro thesauro carbones. Sed hoc agamus. In corpore Ecclesiae, tam in Scripturarum, quam mysterio rum intelligentia, alii sunt parvuli lacte nutriendi: alii grandiores solidi cibi capaces, ad Hebraeos 5. Item alii carnales siue animales non percipientes ea quae sunt Spiritus Dei: alii spirituales atque perfecti Spirituales spiritualibus comparantes, prior ad Corinth. 2. Item alii sobrii, sunt alii mente excedunt; posteriores ad Corinthios 5. Item alii esurientes & sitientes: alii quorum oculi fulgentes à vino, Psalmo 22. Postremo, alii pascendi vt oues, & filii familias alii Pastores, & prudentes patres familias scientes dare in tempore tritici mensuram, Lucae duodecimo. Ergo iuxta hoc discrimen ipsas Scripturas audituris dictavit Spiritus Sanctus, vt illi ab istis veram & germanam Scripturarum intelligentiam hauriant, & accipiant. At Sancti Patres & doctores, quorum consentientem interpretationem stabilire vult Stapletonus, sunt isti. Ergo à Patribus & doctoribus illi debent accipere Scripturarum interpretationem.

XV. Atque en tibi solidam confirmationem! Atque adeo ita fere sit, vt qui haereticam mentem habent labefactam, tum magis nihil agant, quam magis serio sese fatigant. Respondeo, primo posse reprehendi locorum congeriem: qui non omnes sunt similes. Nam illi certe animales nimis importune se in hunc numerum ingerunt, quum sint alieni ab Ecclesia, vt pote quibus stultitiae sint Dei mysteria. Sed condonemus: & rem porius attendamus. Concedimus varios esse Christianorum in Ecclesia gradus, vt incipientium & proficientium: vt ouium & Pastorum: & firmiorum, & infirmiorum, vt imperitorum & peritorum, & si quae sunt alia nomina. Concedimus incipientes, oues, infirmos, imperitos, debere à prouectionibus, à Pastoribus, à firmis, à peritis accipere Scripturae intelligentiam. Nemo sanus haec negat.

XVI. Sed primum non concludit ir quaestio: neque quia imperitiores à peritioribus debent accipere interpretationem Scripturae, ideo peritorum consensus est, vel infallibilis, vt volebat Canus: vel haecenus saltem certus, vt non sit contraria vlla interpretatio admittenda, vt vult Stapletonus. Atque adeo hoc ille peccatum peccauit in disputando magnum: quod in antecedente probando inultus fuit: consequentiae rationem neglexit omnino. Ratio autem nobis certissima eius infringenda. Quia, si qui nobis Scripturae interpretationem tradunt, eorum adeo certa est auctoritas: Ergo non tantum omnium: sed etiam singulorum. Itaque superflue consensus Stapletonus nominauerit. Non enim omnes tantum periti docent imperitos: sed etiam singuli: At singulorum non est ea auctoritas, quae saltem concludi possit hoc argumento: Ergo neque omnium: multo minus non omnium.

XVII. Ad haec illudit nobis Stapletonus: siue serio, & est impostor: siue ioco, & est egregius cauillator. Quid ita? Quia de capis interrogatus, de aliis responderet. Quum enim agitur de ratione interpretandae Scripturae: tum iste nos docet, vnde Scripturam iam interpretatam accipiamus. Quis non eum rideat, qui postulat, quae sit ratio pensandi, coquendique panem, respondeat, pistum coctumque inueniri in taberna? Et si quis Medicinae candidatus, à Professore quaerat rationem conficiendorum medicamentorum, nihil aliud responsi auferat, quam apud Pharmacopolas inueniri iam confecta: quis sibi satisfactum putet?

XVIII. Denique thesis est vniuersalis, quae sit optima certissimaque ratio interpretandi Scripturas: vt, si quaerem, quanam fuerit ratio, qua optime vsi sint etiam Sancti illi Patres & doctores, quos Stapletonus nobis tantopere commendat, tanquam grandiores, & spirituales, & sobrios, & turgentes vino & patres familias. At mirus idem Stapletonus respondet tantum de paruulis, de animalibus, de mente excedentibus, de sitientibus, de filiis familias: Quis ferat?

XIX. Quid amplius? Nego ab eo demonstrari, aut optimam rationem interpretandi: aut omnino rationem interpretandi. Non optimam: quia si esset optima: ergo & solidissima. At hoc falsum. Ratio quia accommodata paruulis, qui lacte opus habent, & non solido cibo: ipso teste loco ad Hebraeos, quem primum citauit: imo ipso teste Stapletono, qui solidum cibum grandioribus tantum accommodat. Non esse rationem interpretandi: doceo ex Papistica doctrina. Nam Papistae seuerè istos paruulos, istas oues prohibent ab interpretanda Scriptura: quae de re iam est disputatum. Quis autem tam fit infans, vt iis praecipua det eius rei agenda, quam omnino agere non debent.

C A P. IX.

An ratio euincat consensum Patrum esse regulam Interpretationis.

I. Cuius prima ratio: Qui nouam hanc exponendi sacras literas suscitant rationem: nimirum ex ipsa Scriptura: hi & maiorum obtulerunt laudes, & vanis hominibus, imo haereticis exemplo sunt, vt nouis falsisque commentis, sacrarum literarum vera sensa contaminent. Quod si semel admilla fuerit haec licentia, horrendum dictu, quantum abolendae religionis periculum consequatur.

II. Respondeo nihil hic rationis esse: sed plurimum conuitii. Nouam appellat rationem, quae re vera antiquissima est: quamque & Christus vsurpauit: & Apostoli obseruauerunt: & Patres professi sunt. Obtenit autem laudes veterum dicit: non probat: itaque est ineptum. Quamquam fidenter dico, si non posset aliter, praestare tamen, vt omnium hominum laudes conculcarentur, quam haec ratio interpretandae Scripturae per Scripturam aboleretur. Sed ab vtroque praecipitio facilis est Catholicorum declinatio. Nam, neque illi contemnunt eos omnes in quibus aliquid minus probant: neque vero vllus locus Scripturae occurrerit, in quo contra Scripturam interpretando omnes Patres consenserint. Ansam praebent nouis falsisque commentis, commentum est impudens. Imo contra certissimum, nullam esse rationem, qua obuiam eatur quibuslibet commentis, siue nouis, siue veteribus: si haec ratio interpretandi per Scripturam ab Ecclesia exulet. Atque adeo hanc solam esse

causam dicimus, quoniam tam pertinaciter hoc loco Papistae pugnent: Quia sua commenta prius vident ruere.

III. Secunda ratio. In his, quorum cognitio non pertinet ad populum, Ecclesiae fides, fides maiorum est. Cum igitur Scriptura facta veram & sinceram intelligentiam accipere, non spectet ad plebem: Patrum certe nostrorum, in libris sacris intelligentia, Ecclesiae intelligentia ipsissima est. Quamobrem, si sancti omnes antiqui diuinis literis intelligendis errarunt: Ecclesia dubio procul errauit: idque Deo praecipiente. Peccaret enim populus, si Scriptura iuxta omnium sanctorum sensum exposita repugnaret, in his praesertim quorum ad iudicium, non plebem, sed ad maiores spectat.

IV. Sic cogor ad verbum describere huius hominis argumenta; in quibus tot sunt tantaque ambages, vt quicquam videri possit, ex quo quid sequatur. Itaque neglecta forma, necesse est me sigillatim respondere. Quid igitur Canus? E Scriptura facta veram & sinceram intelligentiam accipere, non spectat ad plebem, inepte. Nam primum hoc falsum est. Nam Veteres edixerunt, ne quidem apud plebem Pastoribus concionandum esse; nisi secundum Scripturas. Tum autem si lectio Scripturae ad plebem spectat: ergo & eiusdem intelligentia, ideoque etiam interpretatio. Si ergo Canus consentit (vt videtur) in his, quorum cognitio pertinet ad populum, Ecclesiae fidem non esse maiorum fidem: ergo & in libris sacris intelligentia Ecclesiae, non erit patrum nostrorum intelligentia. Ac proinde totum hoc argumentum concidit. Quamquam hoc ipsum ita est perplexum dictura, vt quid sibi velit, non facile quilibet assequatur. Et quis, quae lo, vnquam suspicatus est, in iis, quorum cognitio ad plebem pertinet, fidem Ecclesiae non esse maiorum fidem? Quali plebi noua semper dogmata sint tradenda. Aut si verum contra: quae haec loquendi tanta perplexitas est? aut quid Canus in mentem venit, vt id limitaret, quod non erat limitandum?

V. Praeterea, quorsum hoc ipsum dicitur, non spectare ad plebem sinceram & veram intelligentiam e Scripturis sacris accipere? Cur, inquam, plebis fit mentio? Nostra enim quaestio est generalis de Scripturae interpretatione. Itaque generaliter respondendum fuit, tum de Interpretatione apud plebem tum de interpretatione inter doctos.

VI. Rursus quomodo Stapletonus Canus consentiat, non video. Nam hic sinceram, veramque intelligentiam e Scripturis videtur doctis tanquam eximiam vindicare. Et propterea asserere petendam non e Scripturis: sed ex consensu Veterum. Quare necesse est eum ponere, consensum Veterum esse doctis certam regulam interpretandi Scripturam. Atqui, c. praecedent. Stapletonus videbatur hanc relinquere paruulis nescio quibus, & animalibus, & esurientibus, & ouibus. An vero nulli horum in plebe? An hi nulli nisi docti? Canus viderit.

VII. At si Sancti omnes antiqui in intelligendis Scripturis errarunt, Ecclesia errauerit. Primum, esto, inquam: nam id terribilem solus moueat Papistas. Deinde haec ipsa consequentia negatur. Nam illi, quorum consensus Canus requirit, non sunt tota Ecclesia: imo ne quidem Ecclesiae pars centesima. At peccaret populus, si non eis obtemperaret. Errantibus, inquam, falsum, vt alias est disputatum. Tertio, quorsum hoc de veteribus errantibus? Nam si etsi concederemus non errasse: tamen ratio certissima, siue potissima interpretandae Scripturae non erit hic consensus. Nam eo longe certior erit, ipsa Scriptura: qua hunc ipsum consensum niti est necesse.

VIII. Tertia ratio. Ab omnibus sanctis, communi vnaque mente idem sententibus non potuit verbum Dei recedere: vt haberent pro Canonica Scripturam non Canonica. Ergo nec vera intelligentia verbi Dei potuit simul ab illis recedere. Probatur consequentia: quia vtrumque Ecclesiae promissum est: nempe & Spiritus, & Verbum. At si vtrumlibet omnibus sanctis doctoribus defuisset: Ecclesiae quoque defuisset. Probatur antecedens ex aliis fidei dogmatibus: in quibus sanctos simul omnes non posse deficere, certum est.

IX. Respondeo, re ipsa idem argumentum esse cum proximo: Itaque eodem modo soluendum. Etsi non recesserit ab omnibus pastoribus verbum Dei: tamen consensus Pastorum non esse certissimam regulam interpretandae Scripturae: quod nunc in quaestione venit: nec concluditur à Cano. Deinde nullum exemplum profertur poterit vllius loci, in quo explicando, contra quam exigit ipsa Scriptura, omnes Sancti consenserint.

X. Atque haecenus Canus. Iam Stapletoni erit Ratio quarta, e. s. lib. 1. in ds Principiis. Illud in praesenti causa singulare est, inquit, vt cum in omnibus disciplinis locum habeat axioma illud non politicum, sed naturale, vt vnicuique in sua arte credatur: nec vlla sit adeo obscuri nominis scientia, quae non habeat praeter artis suae principia notissima, etiam Magistros ac professores ad ipsa principia explicanda, & ad varias inde conclusiones, ac veritates eliciendas ac deducendas: necessarium quoque sit in schola fidei, certos habere magistros ac praecipitores, qui fidei nostrae librum, quasque principia, sacras videlicet Scripturas, maxime cum sint obscurae, & intellectu per quam difficiles, nobis elucidant atque exponant. fideique dogmata, ac sensus in re dubia, ex illis deducant. Probatur ex Augustino de vtilitate credendi, c. 7. qui Honorato Manichaeo dicenti de Scripturis, Cum legerem per me ipse cognouit respondit, Itane est? Nulla imbutus poetica disciplina. Terentianum Maurum sine magistro attingere non audeas: Asper, Cornutus, Donatus, & alii innumera biles requiruntur, vt quilibet poeta possit intelligi. Tu in libros sanctos, diuinarumque rerum plenos, sine duce irruis: & de his sine praecipitore audas ferre sententiam? Quareres aliquem primum simul & doctum, vel quos talis esse multis consentientibus diceretur: cuius & praecipitior melior, & doctrina peritior fieres.

XI. Respondeo ista omnia ad dirimendam praesentem controuersiam nullius esse momenti. Nam primo illud, Perito in sua arte credendum: intelligi debere ad imperitos pertinere, de quibus Aristoteles, dicitur, vt magister non sit imperiti. Nam periti ipsi inter se libere dissentiant nulla habita cuiusquam auctoritatis ratione: vnde illud etiam Aristotelis libere à suo magistro discedentis, Amicus Plato, amicus Socrates: sed magis amica veritas. At haec controuersia de eo est, non vnde imperiti, qualis erat ille Honoratus, sumere debeant Scripturae intelligentiam: sed etiam, & quidem multo magis, quae sit regula certissima, ad quam ipsi docti, imo vero ipsi doctissimi, exigere debeant suas Scripturae interpretationes. Itaque nos etiam facile concedimus, in Ecclesia debere esse magistros, qui plebem doceant, quomodo intelligenda sit Scriptura. Imo nos ipsi habemus. Nam quid sunt alii ipsi Pastores, & doctores? Sed negamus tamen eorum, siue singulorum auctoritatem, siue omnium consensum, esse regulam interpretationis.



C A P. X.

An Patres doceant interpretationis regulam esse consensum Veterum.

I. Superfunt Veteres: quorum testimonia Canus: Stapletonus colligit. Clemens Romanus eius nominis primus, Epistola 5. & refertur à Gratiano dist. 37. Relatum est quosdam docere, non secundum traditionem Patrum, sed iuxta sensum suum. Multas enim ex his quæ legunt, secundum ingenium verifimilitudines capiunt. Ideo diligenter observandum est, ut lex Dei non secundum propriam intelligentiam doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem quisque sponte presumpsit. Quod fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus attuleritis, alienum, & extraneum debetis querere: sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à maioribus, secundum veritatem sibi traditam servat: ut & ipse possit ea, quæ recte suscepit, competenter asserere.

II. Respondeo: primo non esse huius Epistolæ magnam auctoritatem: tum quia sit spuria, vel hoc argumentum, quod se autor ceulatum testem dicat historiarum de Anania & Sapphira, quæ in Actis legitur: Omnes, inquit, qui domos vel agros possidebant, vendebant eos, & pretia eorum, & reliquas res, quas habebant, afferebant, ponentes ante pedes Apostolorum, sicut nobiscum quidam vestri cognoverunt, & viderunt: & divi debatur singulis, prout cuique opus erat. Ananias autem vir austerus, & Sapphira uxor eius, ut mentiti sunt Apostolis de pretio agrorum suorum, quos venderant, nobis presentibus, in conspectu omnium circumstantium, à conspectu Apostolorum propter peccatum eorum, & mendacium, quod fecerunt, mortui delati sunt ambo. Atqui huic rei gestæ non potuit presens esse Clemens. Refertur enim ad annum trigessimum quartum Christi: id est, primum post eius mortem. At Clemens Petrum primum vidisse dicitur in Recognitionibus annos plus minus septem ab eadem morte. Sed alterum est in hac ipsa Epistola, quod non possit sine horrore legi à Christianis. Communia debere esse amicorum omnia: in omnibus autem sunt sine dubio & coniuges.

III. Hæc de autore. Locus ipse nihil habet, quo exiit Canus. Quid n. Reprehendit eos qui non secundum traditionem Patrum, sed iuxta sensum suum interpretantur Scripturas: & asserit ab eo Scripturæ intelligentiam accipiendam, qui eam à maioribus accepit. Intellego: nec sane contradico. Non n. hoc disputo, utrum nullo doctore quisquam uti debeat ad Scripturæ interpretationem assequendam. Sed hoc, utrum ea doctorum autoritas summa sit regula interpretationis: an potius ii doctores debeant me docere, quomodo ex Scriptura Scripturam possum interpretari. Illud Clemens iste non docet: hoc vero adstruit manifeste: tum iis verbis, quæ sunt à Cano recitata: tum aliis quæ sunt omissa. Nam quorsum illud referas, quod negat adferendam sensum alienum, & extraneum: id est, extrinsecus, & proprium: h. e. ab ipsa Scriptura. Itaque diserte: Ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis. Sed omisit Canus, quæ statim sequuntur: Quum enim ex divinis Scripturis integram quis & firmam regulam veritatis suscepit, absurdum non erit, si aliquid et ex eruditione ac liberalibus studiis, ad assertionem veri dogmatis conferat. Audin' regulam veritatis ex Scripturis? Audin' à doctoribus debere me intelligentiam Scripturæ petere, ut postquam ex ea Scriptura regulam veritatis habuerit, secure possim et seculari eruditione uti? Ergo hoc agat doctorum diligentia, ut discipulos doceat ex Scripturis regulam veritatis: non vero suam propriam auctoritatem proponat regulam veritatis.

IV. Dionysius Hierarchia celestis c. 1. Ad sanctissimarum Scripturarum intelligentiam, prout illas à Patribus accepimus contuendas, pro viribus pergamus. Irenæus lib. 4. c. 63. expositionem legitimam Scripturarum per traditionem maiorum accipiendam.

V. Respondeo, in Dionysio non esse magnū momentum: tum quia autor sit suspectæ fidei: tum vero, quia nihil habet, quod vrgere possit Canus. Et primo ne forte abutatur ambiguitate interpretis: existimetque à Dionysio dictum: pergamus ad contuendas intelligentias, sicut illas à Patribus accepimus: monito Græce legi: ἐπι τῆς ἱερῆς ἀποστολικῆς παραδόσεως ἡμῶν, ὡς ἐφ' ἡμῶν ἀποστόλων. Converteramus oculos ad divinorum oraculorum illustrationes à Patribus traditas. Nemo a. non videt aliud longe quiddam esse, confiderare illustrationes Scripturarum à Patribus traditas: quam Scripturas non aliter interpretari quam ex consensu Patrum. Adde ἡμῶν, Illustrationes non significare interpretationes Scripturæ: sed ipsas potius illustrationes à Scripturam: nimirum quia in eum finem datae sunt Scripturæ, ut illustrent animas hominum. Quare ἡμῶν ἀποστόλων ἡμῶν, significabunt ipsas Scripturas, Ecclesiæ traditas à Patribus, nimirum Prophetis & Apostolis. Ergo hic locus nihil ad rem.

VI. In Irenæo maior est Cani ἀξίωμα. Recito, quod Canus noluit. Agnitio vera (alludit ad Gnosticos, quorum nomen erat ἀπίστῶν) est Apostolorum doctrina: & antiquus Ecclesiæ status in universo mundo: Et paulo post: Quæ peruenit usque ad nos, custodita sine fictione, Scripturarum tractatione plenissima, neque additamentum, neque ablationem recipiens: & lectio sine falsatione, & secundum Scripturas expositio legitima, & diligens. Vbi quum nihil occurrat eorum, quæ Canus dixit, Epotionem legitimam Scripturarum per traditionem maiorum accipiendam, tum vero illud diserte, pro nobis lego, Scilicet: secundum Scripturas expositio legitima.

VII. Addit Epiphaniū hæresis 61. quæ est Apostolorum: Scripturæ speculatione indigent, ad cognoscendum uniuscuiusque argumenti vim & facultatem. Oportet a. & traditionem utriusque non enim omnia à divina Scriptura accipi possunt.

VIII. Imo, inquam, nihil infusus Cano. Quum n. potest hic locus pertinere ad interpretationem Scripturæ ex consensu Veterum? Hoc ergo libens discam. Traditionem appellat, inquit Canus, intelligentiam & sensum à Patribus acceptum. Itane: Et tam solertem se Episcopus exhibet in intelligendis Veterum scriptis? Imo falsum, ab Irenæo intelligi per traditionem, intelligentiam, sensumve Scripturæ à Patribus acceptum. Nā ipse contra loquitur: Non omnia, inquit, à divina Scriptura accipi possunt. Et ideo oportet et traditionem uti. Nimirum Traditio est eorum, quæ à Scripturis haberi non possunt. Non est ergo sensus Scripturæ non est intelligentia Scripturæ. Itaque distincte: Scripturæ dicitur ἡμεῶν ἀποστόλων, & ἡμεῶν ἀποστόλων eorum, quæ non sunt in Scriptura. At certe interpretatio est ἡμεῶν ἀποστόλων Scripturæ: non igitur ἡμεῶν ἀποστόλων. Nam & interpretari Scripturam nemo vnquam dixit eum, qui vestigat ea, quæ in Scriptura haberi non possunt.

IX. Clemens Alexandrinus Stromateum 7. qui aduersus Ecclesiasticam tra-

ditionem Scripturas interpretantur, hos regulam veritatis amisisse affirmat. Et postea: Gloria tenetur desiderio (inquit nimirum hæretici) qui ea quæ ex sua natura conveniunt sermonibus divinis inspiratis tradita, à beatis Apostolis, & magistris, sua sponte fallaci sapientia simulatione corrumpunt per alias traditiones, humanis doctrinis resistentes auiunt & traditioni. Nam inter eos viros qui tantum erant in Ecclesiastica cognitione, quid restabat dicendum à Marcione, Proteroco, & similibus, qui non sunt ingressi recta via? Neque enim eos qui præcesserunt, superare poterant sapientia, ut aliquid adiuventent eis, quæ ab illis vere dicta sunt. Sed bene cum eis actum esset, si scire potuissent ea, quæ prius sunt tradita.

X. Atqui primum non lego in Clemente illud, eos qui aduersus Ecclesiasticam traditionem Scripturas interpretantur, regulam veritatis amisisse. Sed lego, Nos nullo modo convenit transire regulam Ecclesiasticam. Item: Necessè est labi in maximis eos, qui res magnas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint. Hæc, inquam, lego: illa Cani non lego. Et tamen hæc ipsa quorsum? Nam primo, Ecclesiasticam regulam esse ipsam fidem Analogiam, quæ non est nisi à Scripturis, certum. Itaque Scripturas non propterea quæ Ecclesiasticam traditionem interpretatur, quia non agnoscat consensum Veterum esse summam certissimamque interpretandi regulam.

XI. In reliquis, mitto Gentiani παρακλησις: illud dico Canum non attendisse quid Clemens dicat, aut quorsum. Primo enim Clemens de iis agit, qui corrumpunt vltro ea quæ diuinitus tradita sunt, ἵνα πᾶσι δὲ ἀποστόλοις ἐκείνοις, humanis doctrinis resistentes diuina traditioni. Vbi nec diuina traditio significat consensum Veterum: sed Scripturam: nec humana doctrinæ significat interpretationem Scripturæ per Scripturam: sed quiduis aliud potius. Secundo, contra eos differit ex professo, qui negligunt ex Scripturis demonstrationes petere veritatis. Sunt sicut dicitur: sicut dicitur: qui cum liceat τὰς ἀρχαίας τῶν ἁγίων γραφῶν ἡλικίαν τῶν ἀποστόλων, ἐπιπέσειν ἐπιπέσειν, convenientes diuinis Scripturis ex ipsis Scripturis petere demonstrationes: id omnino non faciunt. Quamto hæc spatio distat à Cano? distat ab eo qui indignatur Scripturæ interpretationem peti ab ipsa Scriptura?

XII. Origenes tract. 29. in Mathæum. Quoties hæretici Canonicas profertur Scripturas, in quibus omnis Christianus consentit & credit: videtur dicere, & ce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à primis, & Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Ambrosius 7. c. 3. de fide ad Gratianum: Seruemus præcepta maiorum: nec hæc educta signacula ausu rudis temeritate violemus. Librum sacerdotalem quis nostrum resignare audeat, signatum à confessoribus, & multorum iam martyrio consecratum?

XIII. At ego rursus meum illud, quorsum ista? Adeo mihi somniculosus iste videtur identidem obliuisci quæstionis. Nam etsi non sit recedendum ab Ecclesiastica traditione, id est, ab ea, quam per successionem nobis Ecclesiæ tradiderunt: tamen non sequitur hanc consensum doctorum auctoritatem esse summam, certissimamque interpretandi regulam. Et quoties, quæso, oportebit me repetere nunquam proferri posse exemplum vilius Scripturæ interpretatæ contra Scripturam: sic ut ea intelligentia per successionem tradita sit ab Ecclesiis: Inueniri fateor multas, quarum interpretationem alienam diu obtinuisse, & apud multos obtinuisse, non erit difficile probare: sed has interpretationes si quis diligentius speculetur, inueniet, neque ab omnibus probari, neque esse ab initio. Quin etiam, quia traditio Ecclesiastica, necessario est ab initio: Sunt autem ab initio Scripturæ: Necessario quicumque interpretabitur Scripturas iuxta Ecclesiasticam traditionem, is etiam interpretabitur iuxta Scripturas. Atque ita hæc cautio erit saluberrima contra hæreses, & voluerunt Origenes, & Ambrosius.

XIV. Hieronymus ad Euagrium. Reuolui Veterum libros: ut viderem, quid singuli dicerent: ut tibi quasi de multorum consilio responderem. Et deprehendi, horum omnium opiniones ad vnum computum peruenisse, ut dicerent Melchisedec hominem fuisse Chananæum. Et post multa: Habes quæ audierim, quæ legimus de Melchisedec. Meū sicut recitare testes tuum sit de fide testium iudicare. Quod si omnes repereris: tuum certe illum spiritualem interpretem non recipies, qui tanto supercilio & auctoritate Melchisedec Spiritum Sanctum pronunciauit. Etenim Danielis 12. Scripturæ sancta intelligentiam, absque Dei gratia & doctrina maiorum, sibi imperitissimi vel maxime vendicant. Et epistola ad Paulinum multis testimoniis exemplisque & rationibus elegantissime docet, neminem in Scripturis sacris sine præuio & monstrante semitam posse ingredi.

XV. Et hinc licet animaduertere Cani osecitantiam; ut nihil amplius dicam. Hieronymus interrogatus quid esset sentendum de Melchisedec, reuoluit Veterum libros. Quid ergo? certissimam-ne putauit regulam interpretandæ Scripturæ consensum doctorum? Imo tu mihi vide, non consensum, sed variantes sententias: quum alii dicerent esse Angelum: alii hominem Chananæum: alii Sem. Nam quæ verba Canus recitat, horum omnium opiniones ad vnum computum peruenisse: ea dicuntur de iis tantum qui Chananæum asserabant: non autem de omnibus libris: ut videri voluit Canus. Secundo, obserua inter eos libros, etiam Iudæos nominari: cum tamen Canus velit duntaxat Ecclesiæ doctorum. Tertio nota deferri Euagrii iudicium. Tuum sit, inquit, de fide testium iudicare. Et sic quisquam dicat de regula certissima?

XVI. Secundū locū in cōmentariis ad 12. c. Danielis, non lego. Sed tantū. Si Propheta audiuit, & non intellexit, quid facient hi, qui signatū librum, & usque ad tempus consummationis multis obscuritatibus inuolutū, presumptione mentis edisserunt? Quæ sunt ab hac cōtrouersia remota. Nō posse a. ingredi quæquā in Scripturā absque præuio, & monstrante viā, quæ est in Epistola ad Paulinum, nihilo magis fauet Cano. Nā & is qui mōstrat viā, esse potest quilibet doctor: nō a. omnes simul: & interpretari ex Scriptura Scripturā, nō necessario remouet monstrantē viam. Imo hic debet suū discipulū docere, quomodo per Scripturā Scriptura intelligatur. Nec alia mens Augustini ad Honoratum de utilitate credendi.

XVII. Stapletonus ex Ep̄la colligit Scripturæ interpretatæ primo, ex vsu Ecclesiæ: secundo ex consensu doctorum: tertio ex auctoritate Conciliorum. Sic nepo Augustinū, negare illa de peccato originali, quæ ad Roman. 5. aliter potuisset intelligi ab Episcopis Palæstinis, propter Catholicā fidem, quæ vbiq; paruos exorcizando, & exsufflando de potestate eruit tenebrarum: lib. 1. cōtra Iulianū. Et Epist. 105. & lib. 3. de Peccatorū meritis, & Remissione c. 13. Et lib. 1. de Nuptiis, & Concupiscentia c. 20. Itē lib. 3. cōtra Parmenianū c. 2. duos locos. Cū eiusmodi nec cibū sumere: 1. ad Cor. 5. Quod apponitur manducate, eiusdē 10. cōciliaturus. Non aliquid nouū aut insolitū dicā, sed quod sanitas obseruat Ecclesiā. Ambrosius lib. 3. de Fide c. 7. Substantiæ interpretationē tuetur ex auctoritate præcedentū Patrum.



Patrum. Trullantis Canon 19. Si ad Scripturam pertinet controuersia aliqua ex...

XVII. Hæc Stapletonus, & quidem iustus, ac maiori pompa. Nam quem...

XIX. Iam vero, vel vnus Athanasius debuerat Stapletonum docere, ipsam...

CAP. XI.

Non esse consensum Patrum regulam interpretandi.

I. Si consensus Veterum esset certissima interpretanda Scripturae regula...

II. Similis locus Marc. 7. Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditione...

III. Si consensus Veterum esset interpretanda Scripturae ratio certissima...

IV. Probatur assumptum. Basilii Epistola 80. quæ est ad Eustathium medicum...

benè opposuissent Basilio. Illis Basilius suam, id est, Catholicorum poterat...

V. Augustinus haud longe aliter. Neque ego Nicænum; nec in debet Arimi...

VI. Si consensus Veterum esset interpretanda Scripturae ratio certissima...

VII. Sed excipiet Stapletonus, se loquitur tantum de Consensu Doctorum...

VIII. Adde argumentis iam enumeratis, aduersariorum confessionem. Tam...

IX. Quid quod ipsi interdum diserte profiterentur discedere à consensu...

X. Sed & præter Caietanum, alii. Bellarminus de Pontice lib. 3. c. 12. disce...

XI. Nec in Controuersis tantum, sed et in Commentariis Maldonatus in...



in quibus Augustinum. Sed post. Alii & titulum esse dicunt, & non unam san-  
 tum partem seu totum libri argumentum declarare. Quae interpretatio, ita magis  
 placet, quod Hebraeis consentanea est, & plenior. Idem in Lucae 1. ad illud, qui  
 ministri fuerunt sermonis: quum perfermonem Christum intelligi dixisset ab Ci-  
 gene, Hieronymo, Ambrosio, Euthymio: tunc vero, Magis (inquit) assessor iis  
 minoribus licet autoribus, qui existimant nomen & sermo, sermonis aut verbi pro re  
 accipi, ex Hebraeorum idiomate. Idem in sextum Ioannis: illud mihi difficile per-  
 suadere possum, intelligendum esse, tunc scandalum ari desinetis, aut iure intelli-  
 gitis, tunc credetis: quae admodum omnes, quos memini legere, auctores interpretatur. Et  
 in secundum inter veteres auctores, paucos admodum inuenio, qui non aut aperte  
 dicant, aut obscure significant, aliquam culpam, aut errorem certe fuisse, quod si-  
 lum ad faciendum miraculum incitauerit, si non ob aliud: certe quia intempesti-  
 ue, & ante tempus id fecit. Ego hoc mihi non per se asero, vllam unquam in Maria  
 fuisse culpam: multo vero minus, in hoc facto. In decimum Lucae, quum quaerit  
 quemnam Christus dixerit esse proximum nostrum, & a nonnul-  
 lis, poni, eum, qui nobis beneficit: a Theophylacto, & nonnul-  
 lis aliis, eum, qui nostra ope indiget: ab Augustino, eum, cui exhibendum  
 est officium misericordiae si indiget: Tum vero hos omnes sensus explodit  
 & omnes homines nostros proximos esse mauult: Ac, Nescio, inquit, an qui a-  
 liorum non probo sententias, meam sim aliis probaturus.

XI. Idem in Matthaei 8. Cur ante tempus se torqueri dicant daemones, ma-  
 ior questio est. Mirum quanto consensu plerique, veteres auctores docuerint daemones  
 ante diem iudicii non torqueri. Et postea: Sed tenenda opinio, quae in Ecclesia iam  
 inualuit, etiam nunc torqueri daemones. En tibi consensum Veterum in Scriptu-  
 ra interpretanda oppositum Ecclesiae. Et quidem Ecclesiae non vniuersae: sed  
 recentissimae. Nam illud iam inualuit, eam habet mentem, posse eam senten-  
 tiam repeti non ab ipso Ecclesiae initio, quasi tum statim creditam ab omnibus  
 Christianis: sed tantum postremis temporibus. At hoc si verum, quid su-  
 perest, nisi vt ab ipsis aduersariis discamus consensum Veterum non esse cer-  
 tissimam interpretandae Scripturae regulam?

XII. Suares tom. 1. de Sacramentis quaest. 61. artic. 3. disput. 5. sect. 1. te-  
 statur Veteres, Iustinum, Inezum, Chrysostomum, Cyrillum, Eusebium,  
 Epiphanium, Origenem, Theodoretum, Damascenum, Athanasium, Oecu-  
 menium, Theophylactum, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Ter-  
 tullianum, Anselmum, Isidorum, autorem altercationis Ecclesiae, & Synago-  
 gae. Hos, inquam, omnes docuisse circumcisionis vim nullam fuisse nisi di-  
 stinguendi Israelitas a Gentibus. Primum vero Augustinum docuisse, etiam  
 aduersus peccatum originis valuisse, vt Baptismum: & assensisse Gregorium  
 Bedam, Bernardum, Rupertum, Hugonem, omnes Scholasticos. Ergo, in-  
 quam, apparet non fuisse Augustino, non Scholasticis consensum Veterum  
 certissimam regulam aut interpretandae Scripturae, aut diuindicandarum con-  
 trouersiarum. Et quia hodierni Papistae Augustini sententiam sunt amplexi,  
 his etiam haud aliter visum.

XIII. Toletus in 1. Ioannis, annot. 71. Doctores sacri caute legendi sunt, dum  
 versant, & opponunt vnctionem illam, de qua Dauid Psal. 44. loquitur dicens,  
 Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo latitiae, quod de Christo Domino dictum  
 est: docent hanc vnctionem factam in Baptismo, quando Spiritus Sanctus super  
 eum descendit. Ita sentiunt Athanasius, Hilarius, Hieronymus, Et postea praefert  
 eos, qui facta dixerunt in ipsa incarnatione, Damascenum, & Augustinum.

XIV. Salmero disputat. 51. in Epistolam ad Romanos auctoritate qui multi  
 Mariae Conceptione, multus est in eleuanda Veterum auctoritate qui multi

sunt in contrariam sententiam: Variè igitur relucatur, sed tres solutiones  
 habet inter alias, huc spectantes, primam, tertiam & postremam. Prima est:  
 Respondemus ex Augustini libro primo de Meritis Ecclesiae, capite secundo, cum  
 ex B. Thomae doctrina, locum ab auctoritate esse infirmum: quia ordo docendi est  
 (vt tibi tradit Augustinus) vt cum aliquid discimus, rationem precedat aucto-  
 ritas. Nam infirma ratio videri potest, quae cum reddita fuerit, auctoritate non  
 ea, per quam formetur, assumit. E conuerso enim est, vt infirmitatem aut  
 confirmet ratio. Sensus est facilis: autoritati Veterum praeponderare rationem  
 atque ab ista illam firmari. Quod si est, quis iam audeat contentum Veterum  
 dicere regulam veritatis? Tertia solutio. Tertio, inquit, rationum efficaciam  
 quae omni auctoritati praestare dignoscitur, in contrarium obicitur. Adde postre-  
 mam. Denique (inquit) contra hanc quam obicitur multitudinem, responde-  
 mus verbo Dei: Exodi vigesimo tertio. In iudicio plurimorum non acquiescit sen-  
 tentia, vt a vero deus. Nam cum Donatista in auctoritate multitudinis gloriaren-  
 tur, respondit Augustinus, signum esse causae a veritate neruo defecisse, quae soli  
 multorum auctoritati, qui errare possunt inuitur. Poterant ista sufficere. Sed  
 hoc tandem cuiusmodi est? Argumentum petunt à Doctorum antiquitate, cui  
 semper maior honor est habitus, quam nouitariis. Respondetur, quamlibet anti-  
 quitate semper detulisse: & quilibet senex, vt quidam Poeta dixit, lau-  
 dator temporis acti. Sed illud asserimus, quo iuniores, eo perspicaciores esse Docto-  
 res. Hoc vero quid est tandem, si non est cornicum oculos configere?

XV. Et sane si crederent Papistae Antiquitatis consensum esse veram ve-  
 ritatis regulam: tum necesse esset eos credere, Patribus iam omnia cognita  
 mysteria pietatis. At hoc illi non credunt. Probo. Roffensis contra Lutherum  
 artic. 18. qui est de indulgentiis. Neque cuiquam obscurum est, quin posteriori-  
 bus ingenius multa sint tam ex Euangelis, quam ex Scripturis ceteris, nunc ex-  
 celsa luculentius, & intellectu perspicacius, quam olim: nimirum, aut quia veteri-  
 bus adhuc non erat perfracta glacies: neque sufficiebat illorum aetas totum illud  
 Scripturarum Pelagus ad amissim expendere: aut quia semper in amplissima Scri-  
 pturarum campo, post messorum quantumuis exquisitissimos, spicas adhuc intactas  
 licebit colligere. Sunt enim adhuc in Euangelis loca pleraque satis obscura, quae  
 non dubito, posteritati multo sent apertiora. Cur enim istud desperabimus, quum  
 ideo traditum sit Euangelium, vt à nobis penitus & ad unguem intelligatur?  
 Quoniam igitur in Ecclesiam suam amor Christi, non minus nunc quam antea  
 fortis perseverat, cuius etiam potestas nihil haecenus est immutata: cumque sa-  
 cer ille Spiritus perpetuus eiusdem Ecclesiae custos fuerit, sicut ab initio: quis am-  
 bigere potest, quin ad eorum, quae in Euangelio supersunt incognita, clarum noti-  
 tiam, ingenia posteriorum illustrabuntur? Ceterum, vt dicere capimus, multa  
 sunt de quibus in priuata Ecclesia nulla quaestio facta fuerat, quae tamen postero-  
 rum diligentia suboris dubitationibus, iam euaserunt perspicua. Salmero disput.  
 51. in Epistolam ad Romanos praeter paulo ante recitata: Deinde dicimus:  
 quod et si homines erant: & ipsi vere sub originali peccati tenebris detenti, vt post-  
 sent errare: tamen per incrementa temporum nota facta sunt diuina mysteria,  
 quae tamen antea multos latuerunt: ita vt hoc loco nosse beneficium sit temporis:  
 non quod nos meliores simus, quam Patres nostri. Canus locorum lib. 7. c. 3. Nec  
 quenquam hoc errore duci oportet, vt si quid Ambrosius aut Hieronymus contra  
 morem doctrinae huius temporis fecerint, loquuti-ue fuerint, idem sibi  
 arbitretur licere. Primum, quoniam res nonnulla non erant  
 tunc adeo in Ecclesia definita, vt nunc esse  
 videmus.

FINIS TOMI PRIMI

